Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

que ex communicatione separantur. quando unus affert panem. alius carnem.
alius uinum. atque alius aliud. Et ideo comessationes. id est misse collati-
ones appellantur. Vocantur quoque eedem comessationes turpia et
inhonesta conuiuia. quia sicut omnes prius cibis utuntur et communionibus.
ita etiam pluribus suo unusquisque quod scurrilitatis et ociositatis pla-
cet loquntur. Non inebrietatibus. Ebriam generis masculini dicimus
calicem aptum potationi a quo dicitur ebrietas. que est nimia potatio
uini. Non in cubilibus. Cubilia proprie sunt lecti. siue lustra ferarum
dicta a sedis cubitationibus quibus assimilantur lecti illorum qui cum
mulieribus et meretricibus in lupanaribus coeunt. Non in inpudici-
ciis. Inpudicicia est inuerecundia. et irreligiositas siue tur-
pis atque irrationabilis coitus. Generaliter omnis libido. et incontinen-
tia. et inmundicia. inpudicicia appellatur. Oratores uero eos dicunt
inpudicos. inuerecundos. atque irreligiosos. Non in contentione.
Contentio altercatio siue controuersia. que plerumque ex questionibus
scripturarum solet oriri. ut uideatur aliquis aliquid sapientie habere.
dum alium inceritt sua pulsatione. et maxime ex re nullius utilita-
tis nascitur. Quo non uitanda est. quia rixam generat. a qua procedit odium.
et de odio enormitas mali. Non in emulatione. Emulatio ua-
rias habet significationes. Significat enim imitationem. significat
studium. et significat inuidiam. qua quis alterius felicitate torquetur.
in hoc loco. Unde emulus dicitur imitator: dicitur studiosus et inuidus.
Sed induimini dominum iesum christum. Sensus iste ex superioribus pendet uero praecipit
dicit. Sic induamini arma lucis. ut in die honeste ambulemus. id est
conuersemur et uiuamus. Nolite inquit ambulare uel uiuere in comessa-
tionibus et reliquis uiciis. Sed induimini dominum iesum christum. Sed questio
oritur quomodo possimus induere dominum iesum christum. qui quadragesimo die resurrectionis
sue celorum altitudine penetrauit ubi nunc sedere creditur in plenitudine paterne maiestatis.
Christus quia ipse est sapientia. ipse est iusticia. ipse est pax. et reliquae uirtu-
tes in ipso sunt. Christum itaque induit. qui omnes uirtutes quas scit in illo esse
ingenium ualet cum adiutorio illius assumit. Iuxta quod alias apostolus
dicit. Quicumque in christo baptizati estis. christum induistis. id est uirtutes omnes
induistis. quia ab omnibus peccatis mundati estis inquit. Simul
et in hoc loco intelligendum est. induimini dominum iesum christum. id est
omnes uirtutes que scitis in ipso esse. ut ipse sit decus atque ornamentum
uestrum. Fratres. Quecumque enim scripta sunt. ad romanos ad rom Turim.